

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive  
Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

132. Spiritus Mercurii universalis ex Vitriolo Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](#)

ejus destillare , hoc oleum solvit Martem in Vitriolum , & adhuc semel destillatum fortiter per Retortam , habebis oleum tingens nobile , seu sal Martis , quod subditus est qui tributum Regi solvit , eumque ditat . Hoc oleum solvit aurum spirituale purpureum , & per Alembicum traducit , &c. Ex hoc oleo salis Martis , &c. Processus brevitare sua obscurior , non parum illustrabitur à sequente spiritu mercurii .

### 132. Spiritus Mercurii universalis ex Vitriolo Basiliī,

*Labore 2. libri Revelat.*

R. C uprum commune , ex quo fac viride æris communi more , quod tere , cui assunde bonam quantitatem Aceti destillati ( philosophici , sive aceti cum spiritu vini phil. mixti ) agita bene , & solvetur viride æris , sine ut subsideant fæces , & solutio erit valdè pulchra , pellucida & viridis . Acetum in Cucurbita abstrahē ad crassitiem , & in loco frigido crystallisabitur Vitriolum grave ad summum graduatum , quod denuò solve in aqua calida , aquam evapora donec spissescat , pone iterum in loco frigido & denuò coagulabitur Vitriolum , quæ solutio & coagulatio repetenda est tertio , & Vitrioli purificatio perfecta erit . Ab hoc Vitriolo in catino sine evapora-  
re phlegma , & calcina donec rubore incipiat , tum satis erit .

R. Deinde silices puros , calcina , & exstingue candentes in Aceto destillato , reitera aliquoties donec bene calcinati sint . Tum denuò calcina & cum parumper refixerint assunde acetum ( phil. ) calefactum , & fac ut sensim siccentur . Horum lapilorum sic præparatorum accipe partem unam , Vitrioli jam calcinati partes duas ; trita misce , pone in Retorta terrea spiri-  
tus non absorbente , vel in Retorta vitrea bene lutata , appone Recipiens magnum & vase bene lutato accende ignem per gradus , per 24 horas , deinde administra ignem fortiorem per alias 24 horas , & prodibunt spiritus virides albi , & igne sic continuato tandem guttae rubræ . Hunc ignem violentum  
con-

conserva donec omnes spiritus & guttæ transiverint. His perfectis, destillatum pone in Cucurbita, & vase bene clauso rectifica ex balneo lentissimo igne, & ascendet phlegma, in fundo autem Cucurbitæ manebit oleum Vitrioli rubicundum & grave. Peracto hoc labore,

R. Limaturam ferri puram, cui in Cucurbita affunde dictum Vitrioli oleum ut supernatet, & adde tantum aquæ pluvialis destillatae, usque videas oleum ferrum solvere. Tum abstrahe phlegma per distillationem, residuum sine in loco frigido cristallisari in Vitriolum pulchrum, & sic Mars & Venus conjuncti sunt. Vitriolum hoc calcina sub tegula, & agita ferreo unco in pulverem subtilem subrubeum. Pulverem hunc in Retorta vitrea bene lutata pone, & vasis bene clausis destilla per gradus ignis quemadmodum destillasti oleum prædictum, & primò habebis spiritum album qui est Mercurius Philosophorum; deinde spiritum rubeum qui est sulphur Philosophorum, oleum incombustibile ex ambabus Veneris & Martis Tinctoris compositum nunquam separandum, & est viridis & rubei leonis sanguis quo Rex illorum pater cibari debet. Ab hoc oleo in Balneo abstrahe phlegmata, & paratum est ut aurum eo tinguatur.

R. Caput mortuum quod pulchri & coccinei coloris est, tere in pulverem subtilissimum, pone in vitro & affunde Acetum destillatum (*philosophicum*) digere per triduum in leni calore, ita ut sal extrahatur, in quo latent thesauri totius mundi, absque quo sale omnis labor esset irritus; Acetum abstrahe in cineribus, & sal in vitro remanebit, cui in Retorta vitrea affunde oleum prædictum (*Veneris & Martis*) & sal dissolvetur statim; tum destilla eadem violentia ut anteà, & oleum secum traducet proprium suum spiritum salis quod semel rectifica ex balneo, & decies fortius erit quàm anteà, & paratum habes oleum incombustibile ex Mercurio, Sulphure, & Sale ex una radice venientibus oleum hoc est vera prima materia metallorum, & vera radix ex qua aurum generatum est.

*Hic Mercurii spiritus, Collaboratores, pluribus incautis vel nimis inconsideratè, vel arroganter eum in sequentibus, scientes loquimur, damno fuit, ne hoc fiat imposterum ejus naturam, qualitates, & ortum manifestabimus aliquantulum clarius.*

*Viride*

*Viride æris commune aceto in Vitriolum redactum, deinde aqua communi ter solutum & coagulatum, calcinandum est usque ad rubedinem in vase aperto, ut phlegma superfuum abstrahatur, & ad subsequentem distillationem aptius reddatur. Verum quis unquam viride æris purificatum, in officinis pharmaceuticis, flores viridis æris dictum calcinavit in rubedinem absque virium suarum diminutione? Quis inquam ex calcinato hoc pulvere distillavit oleum rubicundissimum? Non aceto communi ergo, sed philosophico dissolvendum venit viride æris, ut non solummodo purificetur sed redigatur etiam in Vitriolum ad summum graduatum. In genere vicesimo ex Vitriolo Romano altè graduato, id est, spiritu vini phil. vel macerato, vel penitus dissoluto Basilius distillat idem Veneris oleum rubrum, tam ponderosum ut plumbum, vel aurum; spissum ac sanguis, & igneæ qualitatis, id est, summæ aciditatis. In vicesimo primo genere idem Vitriolum cupri vel æris viride aceto communi purificatum, non quidem spiritu vini phil. per se, sed succo omphacino, id est, aceto com. aliove fortiori acido permixto, redigi in Vitriolum graduatum; hoc autem in Veneris oleum destillari annotavimus. Si metalla, mineralia, reliquaque arida acidis dissoluta & in Vitriola redacta, spiritu vini phil. vel aceto philosophico adeò graduentur, ut desiderata inde hauriri queant olea, quidnam in causa foret cur sola ex cupro confecta Vitriola carere debeant dicto privilegio, non facile percipi potest. Perinde autem erit ac si Vitriolum graduatum reddatur juxta methodum sub No. 113. datam, vel juxta Recepti præsentis præscriptionem, ex utroque idem spiritus & oleum prolicitur.*

*Confecto autem hoc Veneris oleo, & aqua communi diluto serum redigitur in Vitriolum graduatum, quod etiam Vitrioli Veneris instar calcinandum est in rubeum colorem, posteaque destillandum in spiritum album & oleum rubeum.*

*Methodus hujus operationis extat libro particul. in particulari Martis sic: Re. Olei rubei Vitrioli partem unam, aquæ fontanæ partes duas, misce, quo disslove limaturam chalybis; solutione calidè filtranda est, quam evapora leniter ad tertiarę partis consumptionem, & in loco frigido accipies cristallos sacchari instar dulces, verum ( id est, graduatum ) Martis Vitriolum, à quo decanta solutionem, hanc abstrahie parumper, & in loco frigido novas habebis cristallos, quas leniter sub tegula calcina, movendo continuè spatula ferrea, in pulverem purpurei coloris,*

cui

cui affunde acetum destillatum ( phil. ) extrahe animam ( Tincturam vel Essentiam ) Martis , abstralie acetum , & edulcora animam . Hæc est illa anima Martis quæ spiritu Mercurii dissoluta , & cum anima Solis unita Lunam tingit in Solem .

Sed de his inferius ; Vitriolum Martis graduatum & in pulverem purpureum calcinatum in nostro Recepto , absque suæ animæ extractione destillatur in Mercurium Philosophorum & salphur Philosophicum , verum Martis & Veneris Oleum , menstruum proxime antecedens sub No. 131. ex quo ut præsens Mercurii spiritus fiat , ex capite mortuo aceto philosophico extrahendum est sal , quod Martis & Veneris oleo commixtum & insimul destillatum per alembicum , dicitur prima metallorum materia .

Aliquando loco dicti salis ex capite mortuo extracti Basilius usus est sale & sulphure Solis . Ita fit

### 133. Oleum Martis & Veneris sulphure & sale Solis acuatum Basiliī,

*In supplemento.*

Rc. **A**uri purpurei coloris ( Croci Solis , des Bonings purpure Mantel ) unciam semis , Olei Mercurii Philosophorum ( olei Martis & Veneris ) unciam unam semis , fiat dissolutio , cui adde salis Solis drachmas duas ; omnibus resolutis in oleum , id rectifica per Retortam , ut evadat clarum & pellucidum .

Basilius pro spiritu Mercurii universalis Cuprum aceto philosophico dissolutum , & crystallisatum in Vitriolum graduatum , leni calcinatione redigit in verum Veneris crocum , sive pulverem rubrum : Ferrum autem Veneris oleo ( destillato ex dicto Veneris croco ) dissolvit , crystallisavit , & calcinavit in Martis Crocum . Pro præsenti menstruo requirit Aurum Balneo Regis ( sub No. 89. ) dissolutum , redactum in Vitriolum volatile graduatum , quod porrò aqua destillata dissolutum cum triplo argenti vivi ex menstruo præcipitat , amalgama autem inde productum leniter sub regula calcinat in pulverem vel Crocum purpureum , de cuius confectione

Sf

fectione